



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

XI. Terminus relationis prædicamentalis an debeat esse aliquid actu
existens?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

etiam potentiam productiuam accidentariam, & proximam esse conditionem, siue rationem fundandi relationem prædicamentalem; eius verò causam esse solam potentiam radicalem à substantia rei prorsus indistinctam. Cuius sententiæ probatio, eaque satis locuples, est cæterarum improbatio, necnon auctoritas philosophi, qui verbis supra obiectis à Soto actionem esse rationem fundandi statuit, ut visum est; antea verò potentia utique proxima meminit eundem in finem, his verbis: *Eorum, quæ secundum potentiam, etiam secundum tempora dicuntur ad aliquid, veluti quod fecit ad id, quod factum est, quod factum est ad id, quod faciendum est, &c.* Vbi autem actio, & potentia proxima conditiones tantum sint relationis, superest sola potentia radicalis, quæ sit eius causa, & fundamentum, præsertim cum in illa rationes nostræ aduersus aliorum sententias nequaquam procedant. Atque hinc obiter colligo, substantiam esse posse, ac debere immediatum relationis fundamentum, etiam si hoc sumatur, non latè uti supra cap. 9. sed etiam præse, ac rigorosè.

147 Porro etiam circa relationes huius speciei, de quibus in præsentī, illud discutiendum restat, an relatio Paternitatis, verbi gratia, sit eadem præsentē actione generatiua, ac præterita, vel potius diuersa? P. Suarez citata sect. 12. num. 9. Rubius in Logica de prædicamento ad aliquid quaestione 12. num. 272. Balthasar Tellez in metaphys. disp. 42. sectione 5. num. 9. volunt esse eandem: alij apud P. Suarez, ubi supra esse diuersam. Qui tamen displicent: nam actio est conditio relationis, ut est actio, non vero, ut præterita, siue quoad eius carentiam; hæc enim, etsi nunquam subsequeretur, haud propterea desineret esse relatio Patris; unde æterna, semperque præsens generatio verbi primam personam eius Patrem nihilominus denominat, & constituit: sed actio, ut actio est eadem, siue sit præsens, siue præterita, licet hi eius status differant inuicem: ergo ut conditio est semper eadem, ac proinde eandem fundabit relationem, & non numero diuersam. Rursus idcirco actio, qua quis generat Petrum, verbi gratia, & qua Paulum, fundant diuersas relationes Patris iuxta superius disputata cap. 7. quoniam sunt diuersæ actiones, diuersosque terminos respiciunt: actio præsens, & præterita est eadem omnino, eundemque inuoluit terminum: quidni ergo vnam, & eandem relationem inferant? Præterea, ut verbis P. Suarez, ubi supra utar, *Quis dicat, Beatissimam virginem in primo instanti, quo Christum concepit, habuisse vnam relationem matris, & immediate post amisisse illam, & acquisisse aliam?* Denique præteritio, & carentia, siue absentia actionis non impedit, quominus ea inferat velut quædam conditio, ac ratio fundandi, nouam relationem iuxta aduersarios: quid est ergo, quapropter illam impediatur à priori conseruanda?

148 Hæc de relationibus primæ, & secundæ speciei: quæ autem sunt teritiæ sortiuntur iuxta omnes, velut conditionem, rationem mensuræ: obiectum enim, scibile, verbi gratia, est mensura perfectionis repectæ in scientia: relationis autem in ea resultantis, quæ potest esse causa, quæ non mera conditio eiusmodi mensura? quandoquidem, etiam si non existat, aut esto existat in quantauis spatij distantia, sufficit tamen ad relationem. Quæ sunt huius decursu capitis disputata; quæ etiam supra capite 6. multo melius intelligentur, si supponatur relationem prædicamentalem esse accidens quoddam realiter distinctum à termino, ac fundamento, & huic inhærens: quanquam etiam suum habeant intellectum, eumque non malum

tali principio non supposito ut demonstrabitur in tempore.

CAPVT XI.

Terminus relationis prædicamentalis an debeat esse aliquid actu existens?

149 Debere putant B. Thom. 1. part. quaest. 13. art. 7. & quaest. 28. art. 1. ad 2. & 2. contra gentes cap. 12. & quaest. 3. de potentia art. 3. ad 5. Caietanus, & Ferrararius eisdem locis. Capreolus in 1. distinct. 7. quaest. 2. & distinct. 13. & 30. Soncinas 5. metaphys. quaest. 27. & communiter cæteri Thomistæ. Item Scotus in 1. distinct. 31. & cum eo Maïron. & cæteri asseclæ. Ex nostris Suarez disp. 47. sect. 8. Rubius in Log. cap. 7. in prædicam. ad aliquid quaest. 9. Fonseca 5. metaph. cap. 15. quaest. 1. sect. 7. docum. 1. Hurtadus disp. 15. metaphys. sect. 6. §. 2. Vallius in Log. in prædicam. ad aliquid quaest. 6. cap. 6. Balthasar Tellez in metaphys. disp. 62. sectione 6. Cæterum debere negant Gregorius in 1. distinctione 28. quaestione 23. & quidam alij Nominales. Ipse vero distinguendum arbitror, & aliquas relationes prædicamentales cum existentia termini coherere, & alias ab ea absolutas cenſeo.

150 Prior distinctionis pars auctoribus priori loco memoratis placitura, ac fortassis etiam Nominalibus non displicitura, probatur hunc in modum. Coexistere alicui eodem tempore, eive esse propinquum, aut penetratum loci spatio sunt relationes prædicamentales fundatæ, ut superius visum est, in vnitate quodam temporis, ac loci: quod etiam expresse docet P. Suarez 2. metaphys. disp. 48. sect. 1. num. 7. at eæ relationes terminum postulant existentem, ut inuenti manifestè constabit. Deinde similitudo, & dissimilitudo quoad qualitatem à re simili, aut dissimili distinctam, eique accidentariam fundatur in eo, verbi gratia, quod Petrus absolute sit albus, & Paulus etiam: atqui vtrumque absolute esse album cum existentia vtriusque necessaria ratione coniunctum est, cum hæc prædicatio Petrus est albus falsa sit eo non existente, nec minus hæc Paulus est albus, si non existat: talis igitur relatio terminum actu existentem efflagitat. Quod dictum est de relatione similitudinis, ac dissimilitudinis fundatæ in qualitate realiter distincta, locum habet in æqualitate, necnon in æqualitate quoad quantitatem molis realiter distinctam; aut quantitatem perfectionis etiam, sed tamen contingentem: harum enim quæuis similiter deponit existentiam termini: id, quod significat Anselmus in Monolog. cap. 13. *Si enim nulla earum rerum vnquam esset, quarum relatione summa, & maior dicitur ipsa (scilicet natura diuina) nec summa, nec maior intelligeretur, nec tamen idcirco minus bona esset, aut essentialis sue magnitudinis in aliquo detrimentum patiretur.* Et inferius cap. 24. *Constat namque, quia homini post annum præsentem nascituro, nec maior, nec minor, nec æqualis sim, nec similis.* Præterea ad homines. Esse cognoscentem obiectum aliquod existens est prædicamentalis relatio eius contemplatione, qui cognoscit, licet intuitu cognitionis transcendentalis sit: vtrumque est plurimum aduersariorum. Atqui ea relatio terminum existentem toties expetit, quoties cognitio est essentialiter vera.

151 Suadetur quartò: nam relatio patris, & matris est prædicamentalis: ea verò si valde præse, ac rigorosè sumatur, deponit existentiam termini: haud enim secundum totum rigorem dicitur pater, aut mater

mater aliqua persona defuncto iam, & non existente filio. Atque huc respexit eleganter & ingeniose Naso in consolatione ad Liuiam

*Visa diu felix mater modo dicta Neronum,
Iam tibi dimidium nominis huius abest.
Iam legis in Drusum miserabile Liuia carmen,
Vnum, qui dicat iam tibi, mater, habes.
Nec tua te pietas distendit amore duorum:
Nec posito fili nomine dicis, vter?*

152 Quocirca sapienter ait P. Suarez disp. 47. metaphys. sect. 12. num. 6. Neque verè, & propriè dicitur esse Pater ille, qui orbatu est filiis, sed fuisse, quod non solum in philosophico rigore, sed etiam in vulgari sermone obseruari videtur. Quia etiam in sententia est B. Damascenus in Dialect. cap. 34. Pater (inquiens) existente omnino, & filius erit: & filio existente, & Pater erit omnino: & Pater non existente, neque filius erit: cuius enim erit filius? & filio non existente, neque Pater erit: cui enim non est filius, non est Pater: quare cointerimitur filius Patri, ut Pater filio: cointerimitur autem, non hypostasis illius, sed habitudo: manet enim homo, qui filius erat, sed non filius manet: non habens enim Patrem qualiter erit filius? si autem & dicimus filium eius, qui mortuus est, vel non propriè dicimus, sed abusue, vel ut non perdit Patris, & in non esse abeuntis, propter animæ immortale. Concinat Augustinus in cathegor. cap. 11. Tunc ergo, & verè, & propriè ad aliquid dicitur, cum sub vno ortu, atque occasu, & id, quod iungitur, & id, cui iungitur inuenitur, ut puta seruus, & Dominus vtrumque, vel simul est, vel simul non est: etenim, cum Dominum dixeris, necessario existet & seruus: cum verò Dominum tuleris, nec seruus appareret. Quæ autem Domini, & serui, eadem est Patris, & filij ratio, ut luce clarius. Quod si velis disparem, quid inde: cum dominiū, & seruitus sint relationes prædicamentales, utque maximè. Fauet etiam Tertul. ac satis apertè in lib. aduersus Hermogenem c. 1. ibi enim aduersario obiciens, Deum semper Deum, etiam Dominum fuisse, nunquam non Dominum: nullo porro modo potuisse illum semper Dominum haberi, sicut & semper Deū, si non fuisset aliquid retro semper, cuius semper Dominus haberetur, fuisse itaq; materiam semper Deo Domino, ita respondet: Dei nomen dicimus semper fuisse apud semetipsum, & in semetipso, Dominum vero non semper: diuersa enim vtriusque conditio: Deus substantiæ ipsius nomen, id est diuinitatis, Dominus verò non substantiæ sed potestatis: substantiam semper fuisse cum suo nomine, quod est Deus: postea Dominus accedens, scilicet rei mentio. Nam ex quo esse cæperunt in qua potestas Domini ageret, ex illo per accessionem potestatis & factus & dictus est Dominus: quia & Pater Deus est, & index Deus est, non tamen ideo Pater, & index semper, quia Deus semper. Nam, nec Pater potuit esse ante filium, nec index ante delictum. Fuit autem tempus, cum ei delictum, & filius non fuit, quod indicem, & qui Patrem Dominum faceret. Sic & Dominus non ante ea, quorum Dominus existeret, sed Dominus tantum futurus quadoque: sicut Pater per filium, sicut index per delictum, ita & Dominus per ea, quæ sibi seruitura fecisset. Hactenus ille. Fauet præterea Baldus in l. in rebus 30. n. 12. C. de iure dot. ubi sic ait: In relatione oppositis dato, quod vnum ex oppositis non sit in rerum natura, reliquum nunquam erit. Denique suadet id ipsum: quoniam probabile est, omnem relationem veram, ac realem esse prædicamentalem, & ad genus ad aliquid pertinere: sed multæ terminum existentem postulant, videlicet actio, passio, vnio, cognitio nostra intuitiua, aliaque, quas non est necesse referre.

153 Posterior distinctionis nostræ pars suadetur primò: R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

quia rem aliquam esse priorem, vel posteriorem distantem parum, multumve tempore comparatione alterius sunt relationes quædam prædicamentales in diuersitate quadam spatij temporalis fundatæ: atqui terminum poscunt non existentem, præsentemve, sed potius præteritum, aut futurum. Secundò, quoniam Petrus in ratione hominis homini nūquam exituro verè similis est, & indiuiduis alterius speciei non minus verè dissimilis, esto ea non existat, nec sint exitura. Tertio, quia vnum tempus verè est simile, & æquale alteri, dies, v. g. diei, annus anno, imo etiam dies quendam in modum anno, & è conuersio quo faciunt verba Senecæ epist. 12. Heracletus, cui cognomen, Scotinon, fecit orationis obscuritas, vnus inquit dies par omni est: Hoc alius aliter accepit: dixit enim parem esse horis, nec mentitur: nam si dies tempus est viginti quatuor horarum, necesse est omnes inter se dies pares esse, quia nox habet quod dies perdidit: Alius ait parem esse vnum diem omnibus similitudine: nihil enim habet longissimi temporis spatium, quod non in vno die inuenias, lucem, & noctem & alternas mundi vices. Atqui tempora non coexistunt inuicem, sed cum quadam successione labuntur: haud ergo astricta est termino existenti, & præsentis quævis relatio similitudinis, aut æqualitatis.

Rursus quartò: scibilis ad scientiam relatio est prædicamentalis, siquæ alia, ut superius demonstratum est: atqui scibile non postulat existentiam scientiæ, sed eius est possibilitatè contentum. Quintò: obiecti non existentis cognitio, iuxta non paucos aduersarios, intellectum cognoscentis ad eiusmodi obiectum prædicamentali ter refert, & seipsam transcendentaliter: at hæc relatio ab existentia termini est absoluta. Sextò: cognitio, siue intentionalis similitudo, quidquid sit, an alicuius respectu sit prædicamentalis relatio, vel secus, terminatur ad carentiam, & obiectum non existens: quidni ergo similitudo physica, & prædicamentalis versari possit inter fundamentum, & terminum, quantumvis hic non existat? Septimò: ens actuale simpliciter est diuersum à non ente, seu non existente: dissimilitudo autem, ac diuersitas in idem recidunt: ei ergo est prædicamentali ter dissimile, relatumque. Octauò: linea bicubita, verbi gratia, dicitur infinite minor linea infinita, cum tamen hæc minimè existat, aut possit citra miraculum: prædicamentalis ergo relatio inæqualitatis haud exigit terminum existentem.

Nonò: relatio contrarietatis vnus formæ cum alia, vi cuius altera demolitur alteram, & à communi expellit subiecto, est prædicamentalis iuxta Aristotelem in cathegor. c. 7. Est autem, inquit, & contrarietas in hisce, quæ ad aliquid sunt, virtus namque virio contrarium est, quorum vtrumque ad aliquid est, & ignorationi scientia. Huiusmodi autem relatio haud poscit terminum existentem, sed potius non existentem. Decimò relatio causæ ad effectum futurum est prædicamentalis iuxta Aristotelem c. 15. met. Iam, quæ ex potentia dicuntur ad aliquid per tempora etiam dicuntur: veluti quod facit ad id, quod factum est, & id, quod facturum est ad id quod faciendum. Terminus autem futurus est eo ipso simpliciter non existens. Vndecimò: probabile est iuxta superius constituta, omnem veram, ac realem relationem esse prædicamentalem: at multæ sunt relationes reales, quæ terminos non postulant existentes, imò, quæ eos postulant non existentes, cuiusmodi sunt amor, & cognitio non entium, ut aliis superdeam.

Duodecimò, ac postremò: tametsi Paternitas vno sensu significet relationem Patris ad filium sibi coexistentem, eoque sensu non nisi improprie dicatur

P quis

quis Pater Filij demortui secundum superius disputata; tamen alio, eoque proprio (quamvis respectu prioris illius omnino æquiuoco) indigat relationem Patris ad Filium præteritum, & sibi non coexistentem: Atqui Paternitas, quicunque sit proprius eius intellectus, est vera relatio prædicamentalis: hæc ergo non est stricta termino præsentis, sed interdum contenta præterito. Quod autem Paternitas secundum illum significatum vendicat, haud enim primus in quaestionem verti potest, haud etiam facit ad præsens institutum ita suaderetur. Negandum non esse videtur, quin Deipara in triduo mortis Christi eius mater dicta sit, atque hoc nomine à fidelibus venerata. Rursus, ut bene arguit Arriaga disp. 1.2. Logicae sect. 10. ubi satis inclinatur in hanc nostræ sententiæ partem, ut actio generatiua, siue sit præsens, siue præterita, sufficit ad relationem Patris: quidni etiam ad Filij, siue eius existentia sit præsens, siue præterierit? Ad hoc, Christus Dominus. Matth. 1. cap. dicitur Filius David, Filiusque Abraham, quibus tamen non coexistit, nec est coexisturus, donec immutemur omnes, ac resurgamus: quanquam autem hæc Filiatio Christi sit satis remota, magisque relatio nepotis ad proavos, quam Filij ad Patrem, nihil refert, quæ enim est vnus ratio, eadem est alterius, & vtrique est ex æquo relatio prædicamentalis. Idem argumentum confici potest ex alijs scripturæ locis, ubi passim appellamur Filij Adæ, eiusve posterius, ac nepotes. Vterius, licet qui pupillus est, dicatur haud habere Patrem huius alio sensu, nimirum eo, qui priori loco manet explicatus, cæterum communiter dici solet Filius Petri, verbi gratia, aut alterius hominis, vtrique iuxta posteriorem Filiationis, ac Paternitatis sensum vterque ergo, & non solum primus est admittendus.

CAPVT XII.

Difficultates aliquæ contra doctrinam præcedentem solvuntur.

157 **A**duersus priorem distinctionis nostræ partem haud sunt argumenta ponderis alicuius: quæ enim conficiuntur à Nominalibus, ea tantum confirmant posteriorem illius partem: unde tametsi alijs, non tamen nobis negotium faciunt. Aduersus posteriorem verò obijci solet primò: Nequit ens, aut res non ente constitui, ut certo videtur certius: at terminus non existens est eo ipso non ens, ac non res: nequit igitur relatio realis, & entitatiua, cuiusmodi est prædicamentalis, eo constitui: constitueretur autem citra dubium termino non existenti, hunc si feriret, cum de ratione relationis prædicamentalis sit ex termino, & fundamento intrinsecè constare. Secundò: nequit ens esse ordinatum ad non ens: esset autem entis ad non ens ordo, si quando fundamentum reale referri posset ad terminum non existentem, ac tantum in potentia. Tertio: relatio est nexus quidam extremorum; vtrumque ergo ex æquo postulat existens: alias cur repugnet vnio materiæ, & formæ, quarum vna sola existat, & non ambæ simul?

158 **Q**uartò: relatiua, iuxta Aristotelem in prædicam. cap. 7. sunt simul natura: quæ autem ita sunt simul, sunt etiam simul tempore, & coexistunt inuicem: tum, quia id perspicue docet Philosophus cap. 12. sequenti: tum etiam, quia, quæ sunt natura non simul, sed alterum prius, alterum vero posterius, hoc ipso existunt in eodem tempore; ordo siquidem ille, siue successio est causa, & effectus, nulla autem causa effectum, quo non existit hic, quo non existit ipsa instanti, causat, potestve: quæ cum ita sint, relatiua esse

bent simul tempore, esse vero non deberent, si relatio prædicamentalis non peteret terminum actu existentem. Quintò: si terminus non existens actu, tantumque possibilis prædicamentali sufficeret relationi, Virgo Deipara, non solius Christi, quem genuit, mater esset, sed aliorum plurius, quos, etsi non genuit, potuit tamen generare: consequens autem fidei repugnat. Quin etiam iuxta eam sententiā nulla femina, quantumvis Virgo, non esset mater, nullus vir quantumlibet continens, non esset Pater: quod est euidenter falsum: etsi fortè verum, quorsum de Deipara Ecclesia tota? *Nec primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudia matris habens cum virginitatis honore.*

159 **S**extò: Paulus, v. g. non existens haud potest esse similis Petro haud etiā Filius Petri, ergo nec hic conuerso ei similis, euiusve Pater antecessor probatur: tum, quia non entis nullæ sunt proprietates, vt est in Philosophica paræmia: tum etiam, quia quemadmodum hæc prædicationes esse album, esse mulicum, & similes non sunt veræ, nisi earum existat subiectum, ita similiter dicendum est de illis, quæ de aliquo prædicant esse similem, filium, aut aliam id genus denominationem relatiuam: consequentia est perspicua quis enim non perspicit, similitudinem, & Filiationem esse relationes mutuas, & alteram in eodem genere, alteramque in diuerso recipiari, seu valere retrorsum? Proinde, si Petrus est similis Paulo non existenti, si eius Pater, hoc ipso Paulus erit ei vicissim similis, eiusque Filius: Pauli autem, quando non existit, nulla est similitudo, nulla Filiatio, ut visum: ergo nec Petri poterit esse vlla eius respectu similitudo, aut Paternitas, quæ erat superioris enthymematis consequentia.

160 **S**eptimò: si est quædam Paternitas, v. g. quæ petit essentialiter terminum existentem, ut superius traditum; si alia, quæ non existentem, ac potius præteritum postulat, ut statutum postea: necessum erit profecto, ut extincto Filio, is, qui manet, nihilominus Pater diuersam habeat relationem à priori. Sequela est euidentis: consequens est absurdum: tum, quia, si in eo euentu fundamentum est idem essentialiter, necnon etiam terminus (nulla siquidem mors, nullus interitus rerum variat essentias) quorsum varietur Paternitas: tum etiam, quia superius cap. 10. positum à nobis est, siue actio sit præsens, siue præterita, & non existens, Paternitatem tamen in ea fundatam, eique velut conditioni innixam, esse prorsus eandem, & non aliam, aliamque; videlicet, quia in vtroque statu, quantumvis inuicem diuerso, actio haud est essentialiter diuersa, sed eadem: similiter ergo Filius, siue sit existens, siue præteritus, & existentia destitutus, cum neutra denominatio harum eius mutet essentiam, eandem Paternitatem, & non diuersam terminabit. Octauo denique ex B. Thom. secundo contra gentes cap. 12. si relatio aliqua prædicamentalis sit absoluta ab existentia termini, eiusque possibilitate contenta, sequeretur quantitatem aliquam à Deo creatam infinitas subire relationes æqualitatis, & inæqualitatis, cum aliæ maiores, & maiores sine fine, totidemque minores sint possibiles, tametsi ad actum non redactæ: infinitudo autem categorematica, ac simpliciter talis repugnat saltem ex natura rei, & citra miraculum.

161 **A**d primū argumentū respondeo, prædicamentalem relationem latius fufam, & prout omnè realem, ac veram habitudinem cohibet, haud semper constitui termino: Quin etiam, etsi arctius sumatur, ac prout est similitudo, aut æqualitas, aliæ trium specierum ab Aristotele in cap. ad aliquid enumeratarum, non vero vlla earum, quæ per cætera vagantur prædicamenta eodem de illa modo non paucos philosophari. Deinde fac eam termino constitui, nihil inde quidem aduersus nostram